

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 9392

**Auteur(s) :** Guillaume de Passavant, Le Mans (évêque)

**Bénéficiaire(s) :** Savigny-le-Vieux, Sainte-Trinité de Savigny (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1162, 23 décembre

**Lieu d'émission :** Le Mans

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Guillaume évêque du Mans confirme les dons faits à l'abbaye de Savigny.

## Tableau de la tradition

### Copies manuscrites

C. Caen, Musée des Beaux-Arts, coll. Mancel, 302, I, n° LXIII, p. 73-77 et VII, n° LXIII, p. 40-43. Copie du XXe siècle

## Dissertation critique

Transcription : Claude Groud-Cordray (Cartulaire de l'abbaye de Savigny ou Liber cartarum domus Savigneii, episcopatu Cenomanensi, n° LXIII)

### Texte d'après C

Justis petentium desideris dignum est facilem prebere concensem et vota que a rationis tramite non discorda effectu sunt persequente complenda. Eapropter ego Willelmus Cenomannensis humilis minister pro amore Dei et salute anime mee et omnium antecessorum ac successorum nostrorum episcoporum videlicet atque canonicorum ecclesie Beati Juliani honestis petitionibus fratris Willelmi abbatis de Savigneio et fratrum ibi Deo servientium grato concurrentes assensu elemosinas et beneficia que in nobis commissa diocesi in presenti canonice possident confirmamus que nominatim ascribere dignum duximus et ea que ex largitione fidelium Deo donante sunt habituri eis similiter confirmamus et presentis scripti parrocino communimus. Ex dono Henrici rex Anglie locum de Sancto Alveo et terram de Bello campo et locum de Domnapetra et locum de Fresnusia et terram de Moreta cum omnibus ad predicta loca pertinentibus. Ex dono Fulconis comitis et Aremurgis uxoris sue locum de Randenai cum omnibus appendentiis suis. Ex dono Juhelli de Meduana et hominum suorum et concessione filiorum suorum grangiam de Merreio cum omnibus ad predictam grangiam pertinentibus. Ex dono Willelmi de Maloseio totam terram de Moloseio. Ex dono Herberti de Iveio on cimiterio de Columbers et juxta cimiterium terra que vocatur Frocum. Ex concessione Philippi de Landevico et ex dono hominum suorum grangiam de Landevico cum omnibus pertinentiis suis et habitum Alberti cum molendinis et aquis et terris sibi pertinentibus et terram de Tilleio et de Valle Renbaudi et de Marcilleio cum omnibus pertinentiis suis. Ex concessione Hamelini de Exclusa et dono hominum suorum de Curva Fossa cum pertinentiis. Ex dono Willelmi de Gorram et Mathilde uxoris ejus quandam medietariam de parrochia de Livareio inter Plaissitum et molendinum. Ex dono Gilonis de Gorram et Radulfi Tornea III masuras apud Tauneriam. Ex dono etiam ejusdem Gilonis duas partes tocius terre pascarin in parrochia

Sancti Bertivini. Ex dono Osmundi Piscis duas partes decime tocius terre sue de Savigneio (sic) et unam masuram juxta burgum ejusdem Silvigneio. Ex dono Morol de Passeis et ex concessione Willelmi de Monteneio et Gaufridi de Meduana domini ipsorum terram de Ponceps juxta Castelliolum. Ex dono Henrici de Bosco Berengarii terram de Valle Haie. Ex dono Juhelli Porci quandam masuram apud Erneiam. Ex dono marie filie Ruelonis bastardi quandam partem de terra illa que vocatur Tilleium. Ex dono Johannis medici et ex concessione filioli et Gaufridi de Meduana domini ipsorum quandam vineam apud Meduanam in loco qui vocatur Montagu et alteram vineam juxta eandem quam ipsi emerunt de proprio. Ex dono Guidonis de Lavalle quietantiam a teloneo et passagio et omnibus aliis consuetudinibus per totam terram suam. Ex dono Willelmi de Silleio et Godehelt matris ejus et ex concessione fratrum suorum Roberti videlicet et Hugonis duo torcularia in una domo edificata apud Silleium et terciam partem alterius torcularis. Ex dono Focaudi et Rulfe uxoris jus et ex concessione Willelmi de Silleio domini ipsorum quandam domum apud Silleium et cellarum et unam plateam juxta cellarum quam idem Focaudus emit de desiderata que platea reddit unum denarium de censu Willelmo de Corletes. Ex dono etiam ejusdem Fulcaudi duos arpennos vinee et quoddam preedium juxta eandem vineam et I oscam juxta infirmariam de Silleio de quinque jugeribus que osca reddit octo denarios census quatuor Thome filio Gervasii et quatuor Heriberto Brunel. Ex dono etiam predicti Willelmi de Silleio libertatem in bosco suo ad reedificandum torcularia quando necesse fuerit. Ex dono Gauterii de Bosco quemdam campum terre perario Gaudri quem emit de pagano Bruno et reddit IIII denarios census Gauterio Coisnon. Ex dono Gervasii Hay quandam vineam que sita est ad fontem Engelberti et aliam vineam juxta eandem quam emerunt monachi de canonicis de Beloloco. Ex dono Guarini de Freernei et ex concessione filiorum suorum unum arpennum vinee qui situs est ad crucem Gunberti. Ex dono Hamelini Eunuchi et concessione Willelmi de Silleio quandam domum in castello Sillei et paululum vinee juxta eandem domum. Ex dono etiam ejusdem Hamelini quemdam campum terre juxta predictam terram Fulcaudi. Ex dono Roberti Amorosi II partes totius decime de Corrocons quam Guarinus de Osca emit de eo. Ex dono etiam ejusdem Roberti II partes decime de Varpennis vinearum ex quibus quinque arpennis tenet, Willelmus de Silleio unum arpennum et Gaufridus de Corta Revel unum, Willelmus de Polai unum, Ligerius unum, Willelmus Rocinus unum. Ex dono Durandi de Curvilla et ex concessione Willelmi de Silleio dimidium arpennum vinee in Vallenorse qui reddit predicto Willelmo VI denarios census et juxta eundem alterum dimidium arpennum quam emerunt monachi de Ernaudo Magno et reddent de eo Hugoni de Marcilleio IIII denarios census. Ex dono Johannis de Ramacla quandam vineam quam emit de Willelmo Garnerii reddendum predicto Willelmo VIII denarios de recognitione. Item emerunt monachi de Gauterio Firmato quandam terram de qua reddent domino de Silleio II denarios census. Emerunt etiam predicti monachi de Garino de Orta I arpennum vinee que sita est ad Pontionculum pro qua dederunt ei quandam vineam quam habebant apud Cenomannensem urbem et C solidos cenomannensium de qua vinea reddunt monachi Hugoni Borrel IV denarios census. Emerunt namque sepedicti monachi unam portiunculam terre juxta torcularia sua de Teobaudo Malaterra pro qua reddunt IV denarios census matheo Lucas. Omnes has supradictas elemosinas atque donationes sive emptiones que hic enumerate sunt et omnes alias quas omnibus justis modis Deo adjuvente poterunt adquirere concedimus et confirmamus ut dictum et ecclesie et monachis Savigneii liberas et quietas et ab omni consuetudine et servitio absolutas exceptis his servitiis que superius enumeravimus ipsam vero abbatiam et omnes possessiones ad eam pertinentes ubicumque sint et de cuiuscumque dono sint in toto episcopatu nostro assumimus in protectione ac defensione Beati Juliani et nostra sicut elemosinas Deo et ejus servitio dedicatas et ideo volumus et ex parte B Juliani et nostra precipimus ac firmiter constituimus ut nullus clericorum sive laicorum his elemosinis sive possessionibus earum aliquam contra rationem audeat inferre injuriam quod si quis presumpserit tamdiu gladio anathematis feriatur donec congrua satisfactione peniteat. Facta est autem hec concessio atque confirmatio anno ab Incarnatione Domini M°C°LXII° X kal Janurai in domo nostra Cenomannensis testes sunt hujus concessionis atque confirmationis Philippus decanus B Juliani, Mauricius archidiaconus, Ivo magister scolarum, petrus sacrista, Esgaretus capellanus, Thomas et Andreas canonici, magister Gaste, Herbertus decanus de Passeio, Hugo de Donfromt, Radulfus Harduin.